



37

8

1719

6

RECTOR
ACADEMIAE WITTENBERGENSIS
**IO. GOTHOFREDUS
BERGERUS**

CONSILIAR. ET ARCHIATER REGIUS
FAC. MED. PROF. PRIM. ET ACADEMIAE
SENIOR

CIVES ACADEMICOS

AD DIGNE CELEBRANDUM
NATALEM DOMINI
NOSTRI

JESU CHRISTI

HUMANITER
INVITAT

1719

W





20
21
20
i verum est, quod nemo dubitat, hominem sine exemplo fuisse CHRISTUM, tum inficiari poterit nemo, tanto anteire gentem Judaicam ceteras nationes, quanto Christus homines omnes majestate ac gloria superavit. Unus olim Epaminondas pluris, quam tota Thebarum civitas, habebatur, quod, quum haec, et ante illum natum, et post illius interitum, nunquam non alieno sub imperio fuisset, e contrario, quoad is rempublicam gubernarat, eadem caput totius Graeciae fuerat. Quanto magis fas est, ut is non Judaeorum modo, sed totius humani generis, existimeretur princeps, qui, ab Israelitis ortus, tum his, tum nobis omnibus, perditam per lapsum salutem sanguinis impendio reparavit. Multum olim praesidium in Archimede Syracusanis, multum in Fabio Cunctatore Romanis, plurimum in Xantippo Lacedaemonio, Carthaginensibus fuit: At plena nobis spes, salusque omnis, in CHRISTO sita est, absque quo si fuissent res nostrae, ne adspirare quidem ad laudem, nedum emergere e miseria, et pristinam recuperare felicitatem, ac gloriam potuissimus. Paulus igitur *Rom. IX. 4. sq.* enarraturus quot, quantasque habeat, prae reliquis, praerogativas gens Israelitica, multas quidem is allegat, et graves, *adoptionem scilicet gloriam, testamenta, legem, cultum, promissiones*; ultimo autem loco servavit primarium, ac princeps, quod nempe Israelitarum sunt *οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὰ κατὰ σάρκα, ὁ ἄν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τὰς αἰῶνας ἀμήν.* Quibus utique verbis tantum decus Israelitis tribuit, majus et excellentius fingi ut a quoquam, concipi que, non possit. Quo magis dolendum est. Socinistas, juratos Deitatis CHRISTI hostes, summis in id viribus inniti, ut hunc Apostoli locum, quippe illi demonstrandae cum primis idoneum, corrumpant. Primo enim textum veteratorie distinguunt, et verba *ὁ Θεὸς εὐλογητὸς, cetera*, non ad CHRISTUM proxime nominatum referunt, sed

fed pro, nescio qua, exclamatione, vel *δοξολογία* accipiunt, idque at speciosius incrustent, interponendo punctum, a verbis *κατὰ σάρκα* dirimunt, quod ipsum a *Jeremia Felbingero*, Silesio, Rectore Cossinensi, in *Versione Bibliorum*, nec non *Steph. Curcellaeo*, in prima saltem N. T. editione, factum videmus. Sic enim *Felbingerus* patrio sermone expressit, vel potius pervertit: Welcher sind die Väter, und aus welchen der Christus ist, nach dem Fleische. GOTT, der über alle ist, sey gesegnet in die Ewigkeit! Amen! Alii vocem *θεός* expunctam mallent, certe ex eo, quod, annotante *Erasmo*, *Cyprianus*, *Hilarius*, alii, locum allegantes omittant, suspectam reddere conantur. Nonnulli vocem retinent, rem impugnant, docentque, verum, aeternumque Deum h. l. significari non posse, quod vox *πάντων* per omnes debeat reddi, *solosque homines*, spectet, super quos equidem DEUS sit CHRISTUS, et non *natura*, sed *gratia*, donoque Patris, a quo super omnes constitutus sit Dominus. Sic disputant illi homines, ut nobis persuadeant, nequaquam Deum et hominem esse Christum, sed purum putum hominem, utut potestate ac meritis excellentem. Sed nos furoribus istis duo praeicipue argumenta, et ea e visceribus textus petita, opponimus. Unum depromimus a *scopo* Apostoli, qui hoc loco dignitates ac praeerogativas Israelitarum edisserere studet. At, quid, rogo, decoris aut ornamentum fuerit, purum putum hominem ex iis ortum esse? Deum vero, Deique filium, ex iis descendere, hoc vero ad augendam illorum gloriam conferre poterat non parum. Alterum esto, quod, ni unum Christum Deum et hominem confiteri velimus, non appareat ratio, ob quam temperamentum illud: *κατὰ σάρκα*, adhibere voluerit, quum non in simplicibus, sed compositis describendis restrictione deceat uti. Tum vero ad rationes eorundem reponimus, initio quidem textum subdole lacerandum non esse, cum obstat consensus Codd. Graecorum, in quibus post *κατὰ σάρκα*, testibus *Erasmo*, *Kortholto* nostro, et *Beza*, non *ὑποστυγῆ* reperitur, sed *κόμμα*. Quod ipsum adeo verum est, ut ipse *Curcellaeus* in posterioribus editionibus correxerit sese, et *κόμμα* restituerit, infra solum illa

annotatione adjecta : *Quidam addunt punctum post σάρα.*
Ac *Erasmus* quidem in *Chrysofostomo* talem sese distinctionem invenisse scribit. At falsum eum esse docet *Feuerbornius* in *Anti-Enjedino*, quum in *Chrysofostomo* non punctum reperiatur, sed incisum, quo de hoc minus dubitare fas est, quod illustri *Chrysofostomi* Epitomaestes, *Theophylactus*, ad eundem hunc *Pauli* locum : καταρχόνται, inquit, λέγει ὁ ἀπὸ τοῦ Πάυλου τὸν Χριστὸν ἐπὶ πάντων θεῶν ἀνακηρύσσοντα. Quare verustiores etiam *Felbingero* *Sociniani*, *Crollius* et *Stegmannus*, sua in *Versione Raticovicensi* sic reddiderunt : Welcher sind die Väter / und aus welchen ist Christus / was das Fleisch belanget / welcher ist ein Gott über alles gelobet in Ewigkeit ! Amen. Nec aliter ut interpungatur, textus argumentum admittit. Si enim verba illa : ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεός etc. pro epiphonemate quodam δοξολογικῷ velimus accipere, quomodo cum Apostoli scopo ; συμπαθεία, et significatione amoris ardentissimi, cohaerebunt ? Vocem θεός a quodam *Arianorum* hoste huic textui insertam esse, *Socinistae* putant : at, eam in nullo unquam codice desideratam fuisse, testantur, qui et antiquissimos et probatissimos contulerunt, *Aldus*, *Stephanus*, *Beza*, *Casaubonus*, et, cuius se auctoritate tueri student, *Erasmus*, nec quisquam est, qui ullo in codice *Sacro* contrarium observarit. Legit jam illam in fontibus, ex iisque repetiit, *Doctor Graecorum* antiquissimus, *Irenaeus*, L. III. adv. haeres. c. 18. quum scribit : Quorum patres, et ex quibus CHRISTUS secundum carnem, qui est DEUS. super omnia benedictus in secula. In *Cypriani* Libro II. adv. Judaeos c. 6. *Jacobus* saltem *Pamelius* nomen DEUS in omnibus *MSCtis*, et queis ipse, et queis *Manutius*, et *Morrellus* usi fuerunt, invenit, eaque de causa editioni suae inferere, perinde ut *Goulartius*, non dubitavit. In *Hilario* ad *Pf. CXXII.* vocem *Deus* librariorum incuria omissam esse, recte suspicatur *Erasmus*. Allegat enim *Hilarius* locum, ut ex eo Christum esse Deum ostendat, quam ad rem testimonium illud, procul illa voce, parum facere potuisset. Quod vero vocem πέντων de solis hominibus accipiendam esse, *Socinistae* contendunt, frivo-

frivolum est, quum nulla ratio adfit, quare ubi de Patre legitur, Creaturas omnes, ubi de Filio, solos homines, notare debeat. Annon enim Christus ANTE OMNIA, et OMNIA in ipso consistunt? Latini certe interpretes, et tractatores, reddidere *super omnia*: Vulgatus quoque sic reddidit: Quid multa? Socinus, *Enjedinus* ipse, et alii ex Socinistis, observante *Calovio*, locum allegantes reddunt *DEUS super OMNIA benedictus* etc. Christus igitur est *DEUS* et *super omnes*, et *super omnia*, idque non per *gratiam*, vel dono, et *constitutione*, sed per *naturam*, aeternamque a Patre *generationem*, non modo *nominatenus*, sed et *reipsa*. Pugnat enim secum, Deum esse benedictum in secula *super omnia*, et tamen, qua talem, Deum esse per donationem, et gratiam. Ita enim ne *Deus* quidem foret proprie, nedum *benedictus* ille *Deus*, omnium minime *Deus benedictus in secula*. Certe, qui est *super omnia*, is, qua talis, non potest ab alio potestatem habere, alioqui non *super omnia* foret, sed potius *infra eum*, a quo potestatem accepit. Quod autem de Christo, a Patre per gratiam *super omnia* elevato, inspergitur, haecenus controversum non est, quum hoc Christo, non, quatenus est *Deus benedictus in secula*, sed quatenus habet carnem, evenerit. Est igitur totus hic locus evidentiissimum de duabus naturis in Christo, divina & humana, testimonium. Quod quidem ipsius *Enjedini* oculos ita perstrinxit, ut, quum ante hos C. annos huc Wittebergam venisset, cum celeberrimis aetate illa Theologis, *Huttero*, *Balduino*, *Franzio*, sua de religione collocuturus, isque vel unicum sibi locum, qui duas esse in CHRISTO naturas perspicue probaret, monstrari petiisset in Scripturis, Nostri vero ad hunc ipsum *Rom. IX. 5.* se recepissent, *Enjedinus* aliquantulum conticesceret, nec, quid exciperet, haberet, aliumque sibi exposceret, quum invicem Nostri, Eundem unicum postulasse, unicum accepisse, ad unicum quoque illum, antequam a ferrentur plura, respondendum esse, monerent. Est tamen hic ipse locus simul dignitatis Israeliticae efficax argumentum. Nec enim praestantius quid, aut excellentius, ad gloriam Israelitarum ostendendam poterat afferri, quam quod non

Heros aliquis illustris, aut Rex praepotens, aut Vates quispiam
 insignis, sed ipse Deus, super omnia benedictus in secula, ex iis-
 dem, quatenus apparuit in carne, descendit. Ac per *Patres* qui-
 dem tum alios, tum praecipue *Abrahamum, Isaacum, & Jacobum*,
 quippe quos ipse Deus non semel mirifice collaudare dignatus
 est, commode intellexerim. Nam, ut *Theodoretus* ad h. l. scribit,
 οἱ πατέρες εἰσὶ οἱ αἰοδιμοῖτο καὶ πολυθεύλητοι, ὃν θεὸς ἐχημάτισεν
 ὁ θεός. Hoc autem non perinde in expedito est, quamnam parti-
 cula καὶ h. l. vim & officium habeat, numne *exaggerationi* in-
 feruiat, doceatque, non alios modo excellentissimos, sanctissi-
 mosque Viros, sed *hos etiam*, e quibus Christus descendit,
 ad Israeliticum populum pertinere, an vero aliam atque ali-
 am praerogativam importet, unamque cum altera coniungat,
 adeoque illos Israelitas, e quibus ortus est, Christus, a Pa-
 tribus, κατ' ἐξοχήν ita nominatis, distinguat? Placet fere
 prius prae altero, tum, quod illi, e quibus Christus secun-
 dum carnem descendit, & ipsi fuerunt Patres ex parte, siquidem
 Abrahami, & Davidis filius fuit, Patribusque adeo contradi-
 stingui vix possunt, tum, quod Patrum Israeliticorum haud pau-
 lo inferior futura erat auctoritas, ni ipsissimus DEI filius τὸ
 κατὰ σάρκα, descendisset ex iis. Neque tamen, obloquemur
 morose, si quis vel maxime distinctas a Paulo praerogativas
 allatas, et cum Patres, tum eos, a quibus CHRISTUS de-
 scenderit, secundum carnem, collaudatos fuisse, putare ve-
 lit. Istud solummodo observetur, non esse, quare hic per
 σάρκα, cum *Piscatore, Corpus Christi*, non totam humanam na-
 turam, intelligere velimus. Nec enim corpus a matre traxit
 procul anima, nec λόγος carni fuit pro anima, quod olim A-
 pollinarius putabat, nec denique mentem coelo attulit, cor-
 pus ex Virgine assumpsit, quorum fere *Estius* ad *Rom. I,*
4. propendere videtur. Enim vero, quum υἱότης ex Vir-
 gine Maria, per, et propter quam, velut γενεαλογουμένη ex stir-
 pe David, Messias αἰεσίως dicitur factus ex semine David, et fi-
 lius Virginis Mariae *Jes. VII, 24. Marci VI, 3.* non absolva-
 tur solius corporis origine, concludimus: animam Christi ab
 anima Mariae esse traductam, ipsamque adeo particulam ἐξ h. l.
 non

non solum notare το ὄθεν τῆς ὕλης, sed etiam τῆς ψυχῆς, quo-
rum utriusque respectu descendat ex Patribus, et Maria matre.
Hic autem novus se objicit scrupulus, qui, nempe, Christus to-
tam naturam humanam, Corpus et animam, trahere a matre po-
tuerit, quum eadem undiquaque peccato fuerit infecta. E-
nimvero carnem, a filio DEI assumendam, ab omni labe morali
immunem fuisse, est extra controversiam, at quo pacto, quoque
medio, immunitatem illam perfectissimamque ἀναμαρτησίαν ac-
quisiverit, disputatur. Plerique omnes repurgatam eam a pec-
cato virtute Spiritus Sancti fuisse, antequam assumeretur a Λόγω,
statuunt. Quibus alii satis speciose obvultunt, repurgari eam a
peccato procul sanguine JESU CHRISTI non potuisse:
i. Joh. 1. 7. Christum igitur vel ad sui ipsius repurgationem san-
guinem contulisse, sibi que adeo ipsi ἀναμαρτησίαν meruisse,
vel nullam prorsus repurgationem in carne a Λόγω assumenda,
evenisse. Quod utrumque cum falsum sit, et incommodum
nonnulli eo prolabantur, ut statuunt, quandam sanguinis in
Adamo particulam divinitus a labe praeservatam fuisse in lapsu,
eandemque propagatam ad patres, quo esset, quod ὁ Λόγος, repa-
raturus humanum genus, assumeret. Nostro autem quodam ju-
dicio, tali subtilitate opus non est, ad nodum illum solvendum.
Opus enim est repurgatione carnis a peccatis, vel ut haec pos-
sit cum Deo mystice conjungi, et deinceps salvari, vel ut queat
eum DEO personaliter, et indissolubiliter copulari. Si prius, fa-
cile largior evenire illam homini, procul sanguine Jesu Christi,
non posse, quandoquidem est opus divinae gratiae, quae applica-
ri nobis nisi per meritum Jesu Christi non potest; si posterius,
nego, meritum Servatoris intervenire debere, propterea, quod
hujusmodi repurgatio, in se, et absolute spectata, est opus divinae
potentiae, ad quod non magis requiritur sanguis Jesu Christi,
quam ad creationem, vel providentiam, et quanquam ἐνορέω-
σις, eventualiter, et consecutive spectata, etiam sit opus divinae
gratiae, suscepta quippe a Filio DEI, ut nobis placaret Patrem;
in se tamen, simpliciterque, considerata non est opus gratiae, sed
potentiae. Repurgatio autem a peccato ne quidem est ipsa ἐνορέω-
σις, sed quaedam illius praeparatio, adeoque non propter nos

proxime, sed propter ipsum Dei Filium est facta, quo scilicet carnis quaedam particula apta fieret, quacum ipse posset perpetuo ac personaliter conjungi, adeoque evenit, non quia Christus meruerat, sed ut mereri posset. Id quod vel inde patet, quod tota isthaec praeparatio Spiritui Sancto superveniens tribuitur, qui sese hoc in negotio non ut Patrem, ac ne quidem ut Sanctificationem humani generis, sed ut *δημιουργόν*, et potentissimum Creatorem, perinde, ut quum sub initium hujus universi aquis incubaret, ostendit, adeoque merito filii, vel ejus applicatione opus non habuit. Sic igitur per potentissimam miraculique plenam Spiritus S. operationem ita descendit ex Israelitis Christus, ut carnem quidem totam, naturamque humanam ab iis traheret, simul vero ab omni omnino labe perfectissime repurgatam haberet. Quo pacto nil obstitit, quo minus carne sacrosancta in *ὑπόστασιν τῆς Δόξης* assumpta, unus idemque Christus et verus homo, et verus Deus in secula benedictus esset. Nostrum vero est, CIVES Optimi, Svavissimique, *κηρύττητα καὶ Φιλανθρωπίαν* Numinis devota mente agnoscere, quantoque in pretio apud Deum simus, vel inde colligere, quod nostram, fragilem licet, contemptamque naturam dedignatus non est. Cum enim Paulus hac una de causa Israeliticam gentem multo et excellentissimam, ac beatissimam iudicet, quod ex eadem ille, qui est DEUS benedictus in secula, descendit: cur non ad dignitatem, deusque totius humani generis referamus, quod filius DEI humanam carnem induit, eademque vestitus nostri omnium noxas et scelera expiavit. Beatam utique culpam, talem quae meruit Redemptorem! At Vos invicem operam date, *ὁ ΜΕΙ*, ut DEO, super omnia benedicto, cujus in honorem Christi adventus his feriis celebrabitur, non carminibus modo, laudibusque, ac verbis, sed moribus quoque concinnis, et gratiae mentis significationibus, ad sustentationem eorum, qui ei in templis scholisque serviunt, occurratis.

P. P. pridie Natal. Jesu Christi A. R. S.

clō Io CCXIX.

WITTENBERGAE
PRELO SCHROEDERI ACAD. ΤΥΠΟΓΡ.

VD 18


ULB Halle


3

000 654 957



TA-OL





1718 6

RECTOR
ACADEMIAE WITTENBERGENSIS
**IO. GOTHOFREDUS
BERGERUS**
CONSILIAR. ET ARCHIATER REGIUS
FAC. MED. PROF. PRIM. ET ACADEMIAE
SENIOR
CIVES ACADEMICOS
AD DIGNE CELEBRANDUM
NATALEM DOMINI
NOSTRI
JESU CHRISTI
HUMANITER
INVITAT

1718 W